

inimicitia, contentiones, amulationes, ira, rixa, dissensiones, secta, inuidia, homicidia, ebrietates, comestiones, & his similia. Sic verò concludit, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Luculenter igitur ex præmissis patet, quod carnis natura, qualis ab autore formata est, valde bona est, & plurimum diligenda. Ipsa autem desideria, quæ de peccati fomite generantur, omnino resecanda sunt, ab iis præcipue quæ mundum contemnere, & Deo vacare volunt. Hæc & etenim mandauit Dominus, vt odio habeantur, tanquam spiritui inimica. Non ergo negligant hos concupiscentiarum affectus de suo eradicare corde, quicumque sub iugo Christi strenuè cupiunt militare. Poterit nanque Dei amor in ipsorum mentibus fructum generare iustitiæ, si fuerint mundi à fordibus carnalis concupiscentiæ.

*Quod ex iustificacione impiorum laudabilis appareat Deus, & quod ex comparacione mundialis seruus Christi seruus comprobetur, propter quam assuetudam, quicumque seculo renunciare disponit, in sua primordio conuersatione omnem à se debet repellere metum triplicis exitus adiutorio.*

C A P . V .



Mnia quæ sunt sine vegetabilia, siue sensibilia, seu rationalia, pro Deigloria creata sunt. Cæli volucres, terræ reptilia, & hominum genus, atque quicquid fulget desuper, si quid in aquis mouetur, cuncta propter seipsum condidit vniuersorum Dominus. Peruersitas hominum, & ipsa nequitia spirituum immundorum Deo militare coguntur. O prouida conditoris nostri venerandæque sapientia, quæ plurima bona de peccatis hominum producit in lucem gloriæ suæ. Eonnanque gloriosior Dei laus comprobatur, quo hominum culpa deformior esse cognoscitur. Quid verò deformius in vniuersitate naturæ esse deprehenditur, quam hominis mali inordinata voluntas, quæ nec iudicium timet, nec Dei iustitiam reueretur. Hæc Dei mandata negligit, & innumera redemptoris beneficia parui pendit. Non temporalem, non æternam meditatur euadere pœnam. Horret quicquid pium, quicquid honestum est. Hæc omni belua fauor, omni que serpente venenosior inuenitur. Quum deterius labitur, quum horribilius delinquit, securior stat. Non diuinam præsentiam, non potentiam, non bonitatem veretur. Superbia denique eius ascendit semper, & donec sibi ipsi relicta fuerit, omnino incorrigibilis est. Si autem diuina clementia stillicidia gratiæ suæ irrorare voluerit, si superno splendore claritatis suæ peruerse voluntatis domicilium irradiare decreuerit, illico fugatis tenebris peccatorum opaca nox sicut dies illuminatur, & quæ prius præ sterilitate horrida iacebant corda, mox florere, mox germinare misericordiæ opera concipiuntur. Nonne vt inculca eremus mens erat Pauli dum seuiret in Christum, dum omnes in Christum credentes vinculis materialibus, ac legalibus captiuae satageret, & ducere in Hierusalem? At vbi de cælo clamauit Dominus, vbi diuina bonitas persecutorem cælesti circumfulsit luce, vbi tonantissimam audiuit vocem dicentem, Saule, Saule quid me persequeris? sine mora in vitrum mutatus est

alterum. Factus est denique de blasphemio confessor, de persecutore doctor, de ministro iniquorum Iudeorum, dux fidelissimus cunctorum Christianorum. Cuius sunt hæc mira stupendæque opera? Nonne eius qui olim mare conuertit in aridam, & sicco vestigio filios Israël transire permisit? Nonne eius qui de tenebris facit lucem splendescere? & vocat ad nutum ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, ita vt non sit qui illius resistere valeat voluntati? O quantos quotidie cernimus mole peccatorum obrutos, à Dei cognitione alienos, sine compunctione, absque misericordia, & ab omni laudabili proposito extraneos, repente vocari cælitus & operante in eis diuina gratia vitam corrigere, mores in melius mutare, lacrymas vbertim fundere, compunctionis gemitus ad cælum emittere, & desiderii sancti amoris intus ardere, atque prius tacentia in diuinis laudibus postmodum ora laxare. Tales nonnunquam conuersatione communi minus contenti, arctiorem propositi rigorem assequuntur. Suos enim relinquunt propinquos, sua erogant pauperibus, se ipsos etiam in monasterio perpetuo damnant carceri sub imperio præsentis. Et qui paulò ante nullis leuibus tubesse volebant, omni postea deponit feritate, tanquam agni missimi cunctis efficiuntur humiliores. Vnde fit, vt contra eos acerrima permittente Deo moueantur certamina. Nam inuidiæ liuore exagitatus diabolus, dura contra illos ordinat bella, de quibus omnibus victoriæ palmam consequentibus diuina mirabiliter laus exoritur, quæ spiritum mole corporea vestitum, facit spiritum sine carne superare. Hoc ante fidelium oculos superna clementia quotidie proponit spectaculum, vt tali exemplo animati, si qui intra vocari se senserint ad obedientiæ statum, non resistant gratiæ, quin potius toto conamine de Dei bonitate consili, crucem suam post Deum baiulare non trepident. Debent nanque hoc diuinae uocationis magni pendere munus, & tam singulare Dei donum minime à se repellere. Quid (oro) excellentius in hac assequi potest peregrinatione, quam vt diuino quis mancipetur obsequio? quam vt Christo persoluat quod accepit à Christo? & Dominum sibi faciat debitorem, cui antea multa debebat? Qui legit, intelligat. Conspicimus etenim per sepe homines sagaciter laborare, proprias exponere facultates, mortis periculo vltro se dare, vt cuiuspiam præpotentis principis fungantur amicitia, quos tamen interdum cernimus post assecutos honores, post ademptam familiaritatem, post diuitiarum aggregationem, ex sola maledicorum inuidia, & animi concitatione furentis, nunc decapitari, nunc suspendi patibulo, nunc exilio relegari. Heu præualete ne poterit plus in cordibus hominum dilectio tyranni morituri, quam amor æterni Dei viuientis? An pluri aestimabitur temporalis substantia, quam cælestes facultates? terrena dignitas, quam angelorum equalitas? Pudeat hoc dicere, pudeat vel cogitare. Hæc nempe est sola altitudo appetenda, hæc est sola præfulgens dignitas quaerenda, hæc est sola secuta, proficua, stabilis, honesta, & iucunda præsentia diligenda, quæ Christo nos facit esse subiectos. Christi enim seruus vera ingenuitas esse probatur. Nam cælorum, terræ, maris, diuitiarum, vitiourum, hominum, & omniumque Dominum apertissime esse

cogno